

dabit Dominum: populus nempe sanctus, Ecclesia Dei. Psal. CIV, 30. Emitte spiritum tuum et creabuntur **יבראין** Isai. XXXIII, 4. Ego Dominus creans te **בראך** Iacob, et formans te Israel: noli timere, quia redemi te, et vocavi te nomine tuo; meus es tu. ibid. XLII, 17. Omnem, qui invocat nomen meum, etc. ut infra statim referetur: ibid. 43. Ego Dominus sanctus vester, creans **ברא** Israel, rex vester.

δ) Subiectum operans verbi **ברא** est semper Deus, nunquam creatura aliqua. Indicium ergo est eo operationem significari, quae propria sit Dei: porro haec non est conformatio materiae vel actio dependens a subiecto in quo agit, quae et creaturis competere potest, sed aliquid in suo genere excellentius esse debet; id autem non est nisi actio independens a subiecto, et productio ex nihilo.

Tandem huc quoque saltem cum aliqua probabilitate afferri potest haec animadversio, quod scilicet quotiescumque **ברא** cum aliis verbis effectiorem significantibus in eodem contextu coniungitur, illud primum locum semper obtinet. Isaiae XLIII, 7. *Omnem qui invocat nomen meum, in gloriam meam creavi eum* **בראתיו**, *formavi eum* **יצרתיו** *et feci eum* **אך-עשתי**. Gen. II, 3. *cessaverat ab omni opere suo quod creavit* **ברא** *Deus ut faceret* **לעשות** ad faciendum: quod nempe prius produxit ex nihilo ut postea disponeret et ornaret. Nec huic animadversioni repugnat locus Isaiae XLI, 20: *manus Domini fecit hoc* (**עשה**) *et sanctus Israel creavit* (**ברא**) *illud*: non enim haec unum verbum in constructione alteri subiicitur, sed ambo sibi **παρπλληλω**, respondent, ut idem per utramque dicatur.

Antequam conclusionem eliciamus, ut res perspicua prorsus sit, faciendum est satis quibusdam difficultatibus. Contra illud enim quod β) statutum est obici possunt haec loca: nimirum Psal. LXXXIX, 43. *Aquilonem* (**צפון**) *et mare* (**ימין**) *austrum* (**אשור**) *et australem tu creasti*. Amos. IV, 13. *formans montes, et creans ventum*. Isai. LIV, 16. *Ego creavi fabrum et interfectorem*. XLV, 6. 7. *Ego Dominus, et non est alter, formans lucem et creans tenebras, faciens pacem et creans malum*. His autem omnibus in locis occurrit **ברא**.

Verum ut ab hoc ultimo incipiamus, eo spectant verba Dei ut affirmet se esse verum Deum, *Ego sum* **יהוה**, seque solum, *et non est alter*: **ואין ער** (et non ultra, non insuper, h. e. non alius praeter me est Deus). Ut excludat proinde alterum summum principium, quod esset causa mali, quae sententia invaluerat inter gentes, ait Deus se causam quoque esse earum rerum quae hominibus malae sunt; et quia reapse earum rerum causa est Deus per creationem, et ut diserte doceat eas non nisi per creationem veri Dei exsistisse, quae de re dissentiebant ethnici, ait *creans malum*. Eadem ratione

ait: *creans tenebras*, vel quia ex parallelismo membrorum, tenebrae idem sunt ac malum, vel quia ipsae tenebrae causam sui habent in creatione lucis eiusque distributione, quae ab unico vero Deo perfecta est. Quoad Psal. LXXXIX, 47. verba ea respondent praecedentibus: *Tui sunt caeli, et tua est terra, orbem terrarum et plenitudinem eius tu fundasti; aquilonem et austrum tu creasti*. Scilicet Dominus est Deus caelorum et terrae, eo quod ea creavit: aquilo vero et auster seu pars septentrionalis et australis veluti duo extrema totum orbem designant, eumque creasse dicitur Deus, ut ratio reddatur cur eius sint caeli et terra. Ad Amosi verba quod spectat, advertendum est quod in eo capite Deus ponit ob oculos Israelitarum potentiam suam in prodigiis patrandis, seu in utendis cum pleno dominio naturalibus rebus pro punitione iniquorum; unde cum concludit: *ecce formans montes et creans ventum et annuntians homini eloquium suum, faciens matutinam nebulam et gradiens super excelsa terrae, Dominus Deus exercituum nomen eius*, de ea effectiōne loquitur, quae cum pleno rei factae dominio consorta est et cum potestate prodigia faciendi: haec autem effectio est creatio. Penes Isaiam vero LIV, 16. ne Ecclesia timeat ab hostibus suis, quos sub specie fabri et interfectoris repraesentat, monet eam Deus quod omnes in manu sua sunt, quippe qui creavit eos, ideoque efficere potest ut non praevaleant, et etiam ut convertantur. Sane nequit ea phrasi significari quod Deus constituerit aliquem tanquam fabrum et interfectorem; solet enim Deus affirmare se aliquos constituisse etsi malos, cum illis utitur ad puniendum vel ad iustum alium finem: at haec Deus se illis opponit affirmatque se eos creasse ne populus suus eos timeat; ad hunc autem timorem averterendum illud tantum conducit nosse nimirum quod hostes nostri sunt creatura Dei penitusque in eius potestate. Per **ברא** proinde ea actio Dei designatur, qua Deus est Dominus absolutus hominum; illa actio nempe quae ipsam substantiam hominum producit, h. e. creatio.

Instabis tamen: si his in locis mentio fit creationis vel actionis eidem aequivalentis, cur non semper idem verbum adhibetur? cur e. g. dicitur Deus formans **לוצר** lucem faciens **עשה** pacem; et formans **לוצר** montes, etc? Respondeo 1) quoad locum Isaiae XLV, 7. ratio specialis fuit, quemadmodum diximus, ut excluderetur summum principium malum: 2) generatim, quod nos defendimus istud est, verbum **ברא** non adhiberi nisi pro significanda actione quae sit productio ex nihilo, vel coniuncta cum productione ex nihilo, vel aequivalens eidem; hoc vero aliud est ac dicere quod pro huiusmodi actione significanda vel adsignificanda non nisi verbum **ברא** adhibeatur aut adhiberi possit: nam et verbum **עשה** quod aliquid

universalis significat, utpote eam quoque complectens, eam significare potest: eandemque adsignificare potest יצר nam, ut iam diximus, Deus nisi creasset materiam, eam pro arbitrio fingere non posset. Cum ergo pluribus modis creatio representari possit, necesse non fuit uno verbo semper uti; ut praesertim omnis actio Dei circa materiam significaretur, et orationis etiam varietas servaretur.

Contra id quod δ) dictum est opponi possunt haec duo ex Ezechiele XXI, 30. (33. secundum heb.) *Revertere* (alloquitur Deus gladium) *ad vaginam tuam in loco in quo creatus es* כְּבָרְאָה XXVIII, 13. 13. Rex Tyri ita compellatur: *Perfectus in viis tuis a die conditionis tuae, in die qua conditus es*: et utrobique dicitur הִבְרֵאךְ. Verum quoad primum, gladius ille est rex babilonis, quem Deus instituit ministrum furoris sui; haec autem actio Dei eligentis hominem in ministrum irae suae, eoque utentis quatenus ei placet, et quidem ita ut homo ei obediat etiamsi nesciat aut nolit, actio est plenae potestatis et dominii per illi qua prodigia in materia fiunt: eaque significatur cum dicitur ille gladius a Deo creatus. Quod alteram vero, Rex ille Tyri symbolice est supremus inter Angelos malos, si pluribus Patribus et interpretibus credimus (cf. Alapide in h. l.): spectata ergo persona quae mystice representatur, vere potuit dici Rex ille creatus, Satanas enim creatus est.

His expeditis liceat nunc ex observationibus superius adhibitis in verbum כְּבָרְאָה colligere propriam eius significationem. Non contendimus quidem hoc verbo eam operationem significari cuius terminus exclusivus sit res ex nihilo, ita ut adhiberi ipsum non possit si simul cum re ex nihilo aliquid aliud fiat. Haec significatio exclusiva profecto excluditur a testimoniis allatis. At nobis satis est, cum illud verbum adhibetur productionem aliquam ex nihilo significari. An ita sit nunc breviter considerandum est ex factis animadversionibus. Sane verbum istud nunquam construitur cum materia ex qua, nunquam adhibetur pro significanda efficientia modorum in ordine naturali, at adhibetur pro significanda efficientia prodigiorum effectuumque ordinis supernaturalis, et nonnisi de Deo usurpatur; ergo ratione habita universalis usus alterutram ex his habet immediatam significationem: vel significat scilicet immediate actionem eam quae est propria supremi Domini, sub hac ratione formali, vel immediate significat ipsam creationem, et per analogiam eas alias operationes quae eandem virtutem requirunt ac creatio. Utraque significatio ex illis observationibus colligi potest: altera vero immediata significatio magis conformis est usui huius verbi, quod nunquam construitur cum termino *ex quo*. Alterutra quidem postulat necessario. Utram vero elegeris perinde est; nam secundum priorem immediatam significationem

habes actionem propriam Dei, quae non est certe modificatio materiae in ordine naturali, causis aliis quoque communis, quaeque proinde productio ex nihilo esse debet in hoc ordine naturali. Si alteram eligis significationem, habes creationem ex nihilo. Et si vero terminus actionis creativae possit esse simul cum re producta ex nihilo aliquid aliud non factum ex nihilo, heic tamen alter effectus excluditur a termino, qui apponitur כְּבָרְאָה in I, 1. Gen. qui est caelum et terra, nempe omnia quae sunt; si enim omnia facta sunt et factae sunt substantiae ex nihilo, non est locus effectioni alicuius rei ex aliquo significandae. Nisi velis dicere res quoque cum inceperint fuisse cum aliquo modo: quidquid enim finitum existit, oportet ut aliquem modum ex pluribus quos habere potest, habeat: at isti cum substantia concreantur, nec excludunt universalem rerum creationem. Habita ergo ratione vis propriae verbi כְּבָרְאָה in primo versu Genesis, productio rerum ex nihilo demonstratur.

Mirari vero subit cur quidam eruditus scriptor (l'Abbé J. Fabre d'Envieu in opere: les origines de la terre et de l'homme d'après la Bible et d'après la science etc. Toulouse 1873) refutans argumenta quibus כְּבָרְאָה significatio productionis ex nihilo assertur (ib. L. II Proposit. 2.), horum quae attulimus mentionem non faciat, cum ea iam fere omnia producta fuerint, praeter alios recentiores, a cl. P. Patrizi in opere De Interpretatione Ss. Scripturarum L. II. q. 4. Romae 1844.

Hactenus dicta illustrari possunt ex testimonio persuasionis gentis hebraeorum. Nam productionem rerum ex nihilo certam fuisse ultima aetate hebraeis constat ex verbis Matris Machabaeae 2. Mach. VII, 28. *Peto nate ut aspicias ad caelum et terram, et ad omnia quae in eis sunt, et intelligas quia ex nihilo fecit illa Deus.* כִּי מִבְּיָר וְלֹא מִכֵּן נִבְרָא (in versione Syriaca) ex eo quod non est fecit. Quod si dicas mulierem illam ipsa verba Moysis recitasse et verbo כְּבָרְאָה esse usam, consequens erit Scriptorem inspiratum, qui graece scripsit, addidisse ex se ea verba *de nihilo*; et idcirco testem haberi Scriptorem inspiratum quod verbum כְּבָרְאָה in initio Geneseos significat productionem ex nihilo.

Difficultas superest ex cap. XI, 18. 40. Sapientiae, ubi dicitur Deus omnipotens creasse mundum ex materia *invisā* ἄεθροσφου ἄληγ; ex materia informi. Et augetur difficultas eo quod consilium sacri Scriptoris est argumentum sumere a divina omnipotentia ut probet Deum potuisse immittere in Aegyptios multitudinem ursoarum, aut audaces leones, aut novi generis ira plenas ignotas bestias. Porro omnipotentia Dei, quae possit novi generis bestias producere, demonstratur maxime ex creatione materiae ex nihilo: hanc ergo si agnovisset auctor Sapientiae produxisset in medium; cum igitur con-

tinuerit se tantum in creatione orbis terrarum ex materia inuisa seu infirmi, videtur idem auctor creationem ex nihilo ignorasse; ideoque eam in Scripturis non contineri aut saltem non manifeste tradi: qui enim poterat hic vir pius et doctus huiusmodi dogma prae-
cipuum, si manifestum fuisset, ignorare?

Ante responsum adverte quod etsi scriptor huius libri Sapientiae id ignorasset, nihil consequeretur contra inspirationem huius libri; inspiratum est enim id tantum quod scribitur, nec ut quis ad scribendum inspiretur, opus est ut omnia noscat, nec auctoritas libri inspirati pendet ex scientia scriptoris humani. Difficultas ergo in eo est tantum quod hic vir pius et doctus videatur ignorare id quod non ignorasset, si in Scripturis contineretur.

Patet argumentum huiusmodi esse negativum. Constat autem nullam esse rationem qua demonstretur necessarium fuisse Scriptori Sapientiae provocare hoc in loco ad creationem ex nihilo, si eam cognovisset, ad probandam potentiam Dei: imo constat rationem potius fuisse cur Scriptori intra eos limites se contineret. Sane quoad 1) probandum erat Scriptori quod Deus posset feras novi generis producere, novas nempe efficere naturas bestiarum, quae ira et feritate nova atque maiori quoque instructae forent: iam vero productio huiusmodi naturarum fuit ex materia, utique iam creata; est nimirum ea productio, quae spectat non ad primam operationem, cuius mentio fit in primo versiculo Genesis, sed ad alteram, quae describitur in sequentibus, quaeque est generatio ordinatio et conformatio materiae. Manifestum est autem quod qui potuit ex materia infirmi orbem terrarum condere, et in eo ex materia tot species animalium producere, potest quoque alias novas species seu naturas ferarum efficere eadem vi et operatione, qua primas species effinxit. Satis ergo erat Scriptori provocare ad huiusmodi vim et operationem, qua Deus naturas ex materia formavit, ut probaret Deum posse alias ferarum producere naturas. At praeterea advertendum 2) est quod liber Sapientiae editus est, ut plurimum opinio fert, eo tempore Alexandriae, quo Platonis doctrina in ea urbe vigebat: doctrina autem Platonis praefer negationem creationis ex nihilo, hunc alterum quoque errorem continebat, scilicet Deum quidem supremum ex materia condidisse orbem terrarum; animalium vero ex materia condendorum curam Diis inferioribus permisisse: ut igitur hic error directe excluderetur, cum heic auctor Sapientiae de animalibus ageret, decebat cum illam ipsam operationem, quae animalia ex materia molita est, Deo explicite asserere: hoc autem executus est inquiring quod quemadmodum Deus ex materia infirmi

condidit orbem terrarum, ita idem potuit novas feras producere, praeter eas quas produxit. Cf. Patrizi de Interpret. SS. Script. L. II. q. 1. a. 4. n. 18.

III. Quaeritur utrum vox בראשית verti possit in *Filio*. Eatenus verti potest quatenus Filio competat appellatio *principii*, et sub hac appellatione ipse in hoc loco sit designatus. Huic interpretationi favent non pauci Patres (cf. Patrizi De Interpret. L. II. q. 2. n. 13), favet etiam analogia fidei, qua docemur Verbum esse principium causale omnium rerum, et per ipsum et in ipso facta esse omnia, favet textus Prov. citatus (cf. Ioan. VIII, 25. secundum vulgatum), favet et interpres hierosolymitanus, qui verba Moysis vertit ברוחבמה in *sapientia*. Verum advertendum est duplicem reapse esse quaestionem: 1) utrum re per se spectata, praecisione facta ab omnibus adiunctis sermonis Moysis, possit principium intelligi Verbum; 2) utrum Moyses voluerit designare ipsum Verbum. Priori quaestioni facile respondetur affirmative. Ad alteram vero quaestionem quod atinet, si quis admittat plures sensus literales immediatos sub eadem litera Scripturae, nullam experietur difficultatem. Si vero unus tantum literalis sensus immediatus sub una litera teneatur, dicendum videtur sensum intentum a Moysse esse principium durationis sive temporis. Nam haec interpretatio 1) maxime propria est huius vocis: 2) postulat a subiecto; sermo enim de origine rerum, cum origine autem rerum consociatur naturaliter in mente audientis conceptus initii durationis, cum audit proferri principium. Pronum igitur erat ut id intelligerent audientes. Non potuit ergo Moyses utens eo vocabulo velle exclusam hanc significationem: quod si voluisset solum significare primum in serie causae, alia formula debuisset uti, praesertim cum populum rudem alloqueretur, qui communiter mysterium Trinitatis distincte saltem non noverat.

Patres vero, qui interpretati sunt in *Filio*, 1) non exclusive interpretationem hanc alteram adhibuerunt: 2) nonnulli quidem ex Patribus qui citantur, qui directe non Genesis commentantur, sed de Verbo Dei loquuntur, hanc unam tantum praeferrunt interpretationem, ut Theophilus Antioch. ad Autolye. L. II. cc. 10. 13; Clemens Alex. Strom. L. VI. c. 7. Marius Victorinus Afer. de Generat. Verbi c. 27. Auctor Consultationis Zaachaei christiani etc. L. II. c. 3: 3) qui vero caput primum Genesis, vel creationis opus data opera enarraverunt, ii hanc alteram interpretationem a priori distinguunt, illique secundum locum tribuunt; etiamque non ut necessariam proponunt, sed potius ut ostendant et declarent omnes sensus veros, qui Moysis verbis per se spectatis subesse possent: quae quidem in-

terpretatio secundaria dici potest; et ea quidem non una est, sed multiplex. Ita Tertullianus adv. Hermogenem cc. 19. 20. « Nos uniceque vocabulo proprietatem suam vindicamus, principium initium esse, et competisse ita poni, rebus incipientibus fieri. Nihil enim quod fieri habet, sine initio esse, quin initium sit illi ipsum dum incipit fieri... Possum et aliter principium interpretari, non ab re tamen. » Tum subdit interpretationem in principio, h. e. in *principatu et potestate*: « id enim quoque est αρχη, atque in *sophia* quae initium viarum Dei dicitur in Proverbis ». Basilius princeps inter graecos του εξημερου interpres, hom. 1. postquam stabiliverit principium durationis caelum et terram habuisse, reprehenderitque philosophos qui aeternam materiam asseruerant, eo quod dixerit Moyses: *in principio fecit* « in eo nimirum principio, quod est secundum tempus, τούτου εν αρχη τωτη τη κατα χρονον »: plures significationes asfert vocis *principium*, nimirum a) prima motio quaevis, b) id unde aliquid deinceps fit, c) ipsa ars et sapientia, qua fit res, d) finis actionis; tum subdit: « tot igitur modis cum dicatur principium, consideres velim ea ne vox singulis significatis accomodari queat », quod breviter deinde exsequitur singula percurrendo; nam tunc primum fuit motus temporis, tunc caelum et terra ut bases ceterorum praestructae, verboque rerum artificis res omnes distinctae sunt, ad eumque finem mundi fabrica est excogitata, ut animae rationales erudirentur. Subdit et aliam interpretationem του in principio: « an forte eo dictum est *in principio fecit*, quod creatio rerum uno temporis momento perfecta est, quandoquidem indivisibile quiddam est principium. » Ita et Nyssenus in hexaem. n. 5. Aquilam secutus admittit quoque interpretationem in *summa*, sic enim, ipse ait, Aquila vertit בראשית scilicet εν αρχη. « Utriusque autem vocis, inquit, una significatio est, *principium* enim et *summa* aequae declarant το αριστον (quod est *simul*). » Docet autem Nyssenus omnia *simul* quidem facta esse, non tamen quatenus omnia tunc essent τη ενεργεια, sed τη δυναμει: ut cap. II. videbimus. Basilium secutus est prorsus Ambrosius in hexaem. L. 1. c. 3. Liqueat interpretationem horum Patrum plenior esse; et secundum eos accipi debere quoque priores, nisi velis eos indulsisse identidem sententiae admittenti multiplices literales sensus Scripturae; nam communioris interpretationem negasse non est credendum.

IV. Difficilis est Basilli locus ex I. homilia in hexaemeron. « Erat enim, inquit, ut apparet (ως εοικεν), aliquid etiam ante hunc mundum, quod mente quidem nostra contemplari possumus, non est tamen narratione proditum, quod rudibus et cognitione adhuc infantibus nequaquam congruere videbatur. Erat quidam mundi produ-

ctione status antiquior, consentaneus virtutibus supermundanis, tempore anterior, sempiternus, perpetuus. Creaturas autem in ipso creator omnium et opifex effecit, intelligibile lumen dignum felicitate eorum qui Deum amant, nempe rationales et invisibiles naturas, et omnem intelligibilem ordinem, quaecumque mentem nostram superat, quorum ne nomina quidam investigari possunt. Haec enim invisibilibus mundi substantiam complent, ut nos Paulus his verbis docet: quoniam in ipso creata sunt omnia sive visibilia sive invisibilia, sive throni, sive dominationes, sive principatus, sive potestates, sive virtutes, sive Angelorum exercitus, sive Archangelorum praefecturae. Tum demum oportebat et hunc mundum rebus iam exstantibus adiungi, qui esset in primis idoneus locus edocendis animabus hominum atque erudiendis. » Maurini censent proponi haec a Basilio, licet non asseruerant, existentiam, utique per creationem, Angelorum ante mundum formatum: quae est interpretatio tum Theodori Mopsuesteni tum Ioannis Philoponi de Mundi officio L. 1. c. 8. sed difficultas est quod duo S. Pater distinguit nempe statum antiquiorem καταστασιν παρεσβυταρχων consentaneum virtutibus supermundanis, atque creaturas rationales invisibiles in eo statu creatas: hae quidem sint angeli; sed ille status quid est? Petavius arbitratur statum hunc anteriorem, sempiternum, congruentem spiritibus divinitatem esse vel Dei Verbum, in quo cen loco et spatio comprehensi sint angelici spiritus ante creationem. Scilicet mundus esset νοητος, ideis archetypis constans, qui mundus consentaneus est intelligentiis, quae non ex sensibilibus rebus sed ex Deo scientiam hauriunt. Id autem diceret Basilius praetermissum a narratore h. e. a Moysse, quia non accomodatum infantiae hebraeorum. Hac porro recepta interpretatione, necesse est ut verba ως εοικεν interpretemur, ut *aequum est credere, ut constat, non ut videtur*; nam Divinitatem, Verbum, ideas archetypas ab aeterno fuisse certum est. Vasquez in 2. p. D. 224. putat significari intervallum quoddam imaginarium anterius omni tempore. At pro ea re proponenda quae tandem aliquando nihil est realiter, opus ne erat iam magnifice exordiri? Probabilis nobis est interpretatio Petavii. Advertimus tamen 1) quod haec est ratio loquendi singularis; 2) quod licet Basilius deinceps dicat Angelos prius fuisse creatos, neque tamen dicit eos creatos fuisse ab aeterno, quod a doctrina Basilli evidenter abhorret; et non dicit creatos fuisse in eo lumine ante materiam, sed solum ante τον κοσμον, qui futurus erat locus idoneus hominibus erudiendis.

Thesis III

Doctrinam productionis omnium rerum ex nihilo Patres tum thetice tum polemicè contra philosophos et haereticos proposuerunt: eamque propriis argumentis confirmarunt ac opportunis adhibitis explicationibus illustrarunt. Dogma porro creationis veritas est necessario credenda.

I. Dedimus in prima thesi formulas quibus Patres creationis conceptum expresserunt: iam vero Patres eas adhibentes non eo spectant tantum ut conceptum creationis expriment, sed ut affirmant id quod eo conceptu repraesentatur: quod quidem tum thetice, tum quoque polemicè adversus nempe ethnicos philosophos, eorumque sequaces haereticos fidem Patres praestiterunt. Quod ut evidentius intelligatur, advertendum est veteres philosophos omnes graecos et latinos negasse creationem. Sane quoad Philosophos gentiles satis manifestum est ipsos vel ignorasse vel negasse productionem rerum ex nihilo. Quoad praecipuos ex illis id probavimus suo loco (Inst. Phil. Cosm. sub Th. XXIX), quem confer, sis. Quoad ceteros antiquiores sufficit testificatio Aristotelis in 1. de Generatione c. 3. et 1. Physic. c. 4. aientis in hanc sententiam convenisse omnes qui de rerum origine tractarunt: ex nihilo fieri nihil. Quoad posteriores praesto est Plutarchus de Animæ procreatione in Timaeo. n. 5. et Diogenes in vita Zenonis Stoici, et Diodorus Siculus in Bibliotheca L. I. cc. 6. 7. Quoad omnes autem exstat quoque testimonium Patrum, qui dogma materiae infectae et aeternae in Philosophis gentilibus reprehendunt. Cf. Epiphanium adv. haereses in primis haeresibus, quae sunt errores gentilium Philosophorum, et Theodoretum in haereticarum fabularum compendio; praeter eorum testimonia ad quos mox provocabimus. Sicut vero Anaxagoras, Plato, Aristoteles et Stoici *dualismum* professi sunt Deum et materiam, ita Schola Eleatica pantheistica fuit, omnia Deum esse asserens, et quantum colligere licet, pantheistae quoque fuerunt priores philosophi graeci qui unum principium statuentes vel aquam vel aërem vel quid huiusmodi, ex eo per quamdam generationem seu emanationem omnia orta esse dicebant.

Sententiam hanc negatae creationis fere omnes veteres haeretici amplexi sunt, sed alia et alia ratione. Gnostici, quorum prima semina iecit Simon Magus, in Valentino perfectionem assecuti pantheismum quemdam per emanationem propugnarunt. Nam ex eorum opinione 1) triginta *αἰῶνες* qui *πληρωμα* constituunt et complement, per generationem successive a primo incognito *βῶφ* procedunt: 2)

mundus non quidem ab supremo aeone conditus est, sed ab inferiore aliquo, Demiurgo scilicet, factus est ex quadam materia informi et turpi, quae processit ab abortivo foetu novissimi aeonis Sophiae. Hunc foetum vocarunt Enthymesin, eo quod originem deberet desiderio Sophiae intendi supremum Patrem (quod privilegium soli Νφ qui et *Μονογενής*, concessum). Cf. Irenaeum adv. haer. L. I. cum dissertatione P. Massueti, tum Epiphanium adv. haeres. haer. 21. seqq. tum Theodoretum l. c. L. I.

Marcion et Cerdon ex Simonis impostura materiam blasphemiae sumentes aliam impietatis viam excogitarunt, ut ait Theodoretus l. c. c. 24. Scilicet Marcion discipulus Cerdonis duos deos statuit alterum auctorem veteris foederis, alterum novi; illum creatorem, hunc reparatorem; illum notum et iudicem, hunc bonum et incognitum, patremque Christi. Creator autem ex materia ingenta eademque mala mundum effecit. Cf. praeter Epiphanium haer. XLII et Theodoretum loco citato, Tertullianum adv. Marcionem.

Hermogenes duo principia posuit Deum et materiam infectam atque aeternam. Cf. Tertullianum adv. eundem.

Manichaeus quoque duo principia ex aequo ingenta, sibi quoque contraria constituit, quorum alterum appellavit Deum, bonum, lucem, alterum materiam, malum, tenebras, Satanam. « Erat Deus et materia, lumen et tenebrae, bonum et malum, in omnibus summe contraria, ambo ingenta et viventia ». Verba sunt Manichaei quae recitat Titus Bostrensis in oper. adv. manichaeos L. I. n. 5. Augustinus vero cont. Faustum l. XXI. n. 4 haec advertit: « Cito videtur Faustus se defendisse cum ait: non dicimus duos Deos, sed Deum et Hylen. Porro autem cum quaesieris quam dicat Hylen, audies plane describi alterum Deum ». Ambo Deus et materia, si Manichaeum audiamus, in locis distinctis sibi quoque propriis habitabant. Verum materia progressa ad terminos Boni, cum is adversus eam immisisset potestatem quamdam, hanc ipsa absorbit, et sic facta est mixtio et temperatio, et ex utroque materia scilicet et ea potestate fabricatum est universum a Bono scilicet, quia malum non praesentit ortum mundi. Bonum autem fabricavit mundum non ex electione, sed propter seditionem a Malo excitatam, quam voluit corrigere. Porro ea potestas absorpta a materia vocatur a Manichaeo anima omnium, quam Bonum ad se recipere studet. Cf. Titum l. c. n. 12. et 29. et disputationem Archelai cum ipso Manichaeo seu Manete (Gallandi Biblioth. T. III) atque Epiphanium et Theodoretum in operibus citatis, atque Augustinum de haeresibus et in libris adv. Faustum, ac contra epistolam fundamenti.

In Manichaei sententia simul cum Dualismo Pantheismus copula-

tur. Ea enim potestas, quae mixta fuit cum materia, ex Deo per emanationem processit, ex materia vero continue mala pullulant; unde creaturae omnes quae ex hac mixtura plus minus consistunt, emanatio quaedam sunt partim Boni, partim mali.

Origo harum fabularum haec speciatim indicatur a Patribus, quaestio scilicet de origine mali. « Magna caecitas (ait Tertullianus adv. Hermogenem c. 10.) haereticorum in quaestione de origine mali. « Alii volunt credi alium Deum bonum, quia mali auctorem existimant creatorem; alii materiam cum creatore proponunt, ut malum a materia non a creatore deducant ». Et Epiphanius l. c. haer. 24. adversus Basilidem qui ab Gnosticis praecedentibus et sequentibus quoad summam rei non differt, ait illius pessimae sectae occasionem dedidisse quaestionem: unde malum?

Sane ita arguebat Hermogenes (cf. Tertullianum l. c.): quia Deus vel ex se ipso vel ex aliquo vel ex nihilo mundum fecit: atqui non primum, nec tertium: ergo secundum. Prob. minor. Quia Deus bonus ex se non faceret nisi bona; cum ergo sint mala, ratio debuit esse extra Deum cur fierent mala; quae alia esse nequit quam materia, ex qua operatur Deus. Quae ratio fuit Manichaeis communis et Marcionitis.

Gnostici quidem seriem commenti sunt pluriam aeonum inter supremum Βοθον et Προπατορα ac novissimum Sophiam ex cuius foetu materia sumpta est fabricandi mundi: verum causa tot aeonum fingendorum, praeter insitam illam cupiditatem nova semper adiciendi (ab initio enim tetras tantum erat) ipsiusque erroris indolem, qui amplificationem quandam et dilatationem suggererat, ea fuisse videtur, quemadmodum seite conicit Massuetus l. c. ut originem mali magis a Bono disternerent, haec enim debetur informi foetu Sophiae, qui malorum omnium ideo seminarium fuit quod coeco ignoti aeonis desiderio originem acceptam referret.

Discrimen proinde existit quoddam inter Philosophos gentiles et haereticos in eo quod materiam infectam aeternamque ponerent, ut advertit Theodoretus Op. cit. L. V. c. 3. Gentiles enim philosophi in hunc errorem ex eo ducti sunt, quod secus productionem rerum explicare non possent eo quod persuasum haberent ex nihilo fieri nihil: haeretici autem a quaestione: unde malum? in transversa acti sunt.

II. Iam vero Patres contra hos omnes, tum philosophos tum haereticos productionem omnium rerum ipsiusque materiae ex nihilo ab uno veroque Deo factam proposuerunt ut dogma revelatum et credendum, atque praeterea ipsi rationi evidens, illudque proinde appositis argumentis confirmarunt, et idoneis explicationibus illustrarunt.

Sane formulae frequentes Patribus, quas ab initio nos recitavimus, eo spectant ut error philosophorum profligetur, et dogma catholicum vindicetur. Quapropter non satis Patribus fuit asserere Deum factorem ποιητην caeli et terrae, et omnium, quae in eis sunt; sed factorem asseruerunt ex nihilo, ex nihilo omnino, ἐκ μη ὄντος, ἐξ οὐ προϋπαρχουσας ὕλης, factorem non solum formarum sed τῶν οὐσιῶν, divinaeque potentiae terminum ipsum τὸ εἶναι edixerunt: et accurata distinctione adhibita inter tres operationes, nempe operationem quae aliquid efficit ex subiecto, generationem, et eam operationem quae ex nullo subiecto agit; hanc Deo propriam vindicarunt. Haec patent ex allatis in loc. cit. Quocirca δημιουργον quidem et κτιστην Deum mundi asseruerunt, sed simul significarunt quo sensu has voces adhiberent. Καθολου γαρ (ait Athanasius Orat. De Incarnatione Verbi n. 2.) οὐδὲ κτιστης ἀν λεχθειν εἰ μη κτισει την ὕλην, ἐξ ἧς και τα κτισθεντα γεγονεν. Et Zacharias Mitylaenus in Dialogo De Officio mundi declarationem vim termini δημιουργος penes christianos, sic Christianum loquentem inducit: « Δημιουργος opifex, nostra quidem sententia, est qui substantiam ipsam ex nulla re nullo modo praeesistente producit, et formae congruentem materiam efficit. » Hinc sententiam christianorum errori philosophorum opponit, pergens: « Substantiarum enim factorem Deum profitemur. Non enim tantum formarum, secundum veteram (gentilem alloquitur) opinionem, opifex est ille qui informem et specie carentem materiam in formam et speciem refinxit. » Quam gentiliū doctrinam extremam esse insipientiam Patres testati sunt: « dicere enim ea quae sunt ex subiecta materia esse facta et non confiteri omnium opifcem ea ex nihilo fecisse, insipientiae extremae signum fuerit ». Christos. hom. II in Genes. n. 2.

III. Quod quidem doctrinae caput Patres et argumentis confirmarunt, et opportunis declarationibus illustrarunt, ut evidentia omnino niteret. Sane huc spectat argumentatio Athanasii in Orat. De Incarnatione Verbi Dei n. 2. ubi propositis philosophorum sententiis de Origine mundi, subdit: « alii, inter quos est magnus apud gentiles Plato, ex praeesistente ingenitaque materia fecisse Deum universa arbitrantur. Atqui non sentiunt qui ista loquuntur, se Deo imbecillitatem tribuere. Nam si materiae auctor non est, sed ea subministrante res creandas producit, imbecillus reperitur, cum citra materiam nihil eorum quae fieri debent, valeat condere. » Ita Ambrosius Hexaem. L. II. c. 1. « Fecit Deus caelum et terram, non tanquam figurae inventor, sed tanquam operator naturae. Nam quomodo sibi convenient operatoria impassibilis Dei virtus et passibilis materiae natura, tanquam altera ab altera quo indigerint mu-

tuantes. Nam si increata materia, videtur ergo Deo potestas creandae materiae defuisse... Plus ergo invenit operator omnium quam contulit. Invenit materiam ex qua posset operari, contulit figuram quae decorem inventis rebus afferret. » Sic quoque Theodoretus argumentatur in Sermon. IV. Curat. affectionum graecarum. In eundem sensum Augustinus De Fide et Symb. c. 2. « Conati sunt quidam persuadere Deum Patrem non esse omnipotentem, non quia hoc dicere ausi sunt, sed quia in suis traditionibus hoc sentire et credere convincuntur. Cum enim dicunt esse naturam quam Deus omnipotens non creaverit, de qua tamen istum mundum fabricaverit, quem pulvere ornatum esse concedunt, ita Patrem omnipotentem Deum negant, ut non cum credant potuisse mundum facere, nisi ad eum fabricandum alia natura scilicet, quae iam fuerat, et quam ipse non fecerat, uteretur... At si omnipotentem Deum fabricatorem mundi esse concedunt, fateantur necesse est ex nihilo eum fecisse quae fecit. Non enim aliquid esse potest, cuius creator non esset, cum esset omnipotens. »

Quam omnipotentiae ideam expolientes Patres advertunt Deum nutu suae voluntatis agere ad extra, *νεματι* scilicet *του Θεου και δυναμει την των άπαντων ύστωσιν γερονενα* (ut ait Eusebins in Praep. evang. L. VII. c. 10), potestas enim Dei ipsa est voluntas; Dei nempe *δυναμις* *εστιν η Βουλη* (ut inquit Nyssenus in hebraem. n. 4.); ideoque quod aliis agentibus materia suppeditat, id praestat Deo sua ipsius potentia a semetipsum perfecte efficax: « optimus enim artifex (ait Cyrillus Glaphir. L. I. c. 2.) omnium Deus propria sua potentia *παντοουργη* usus h. e. Filio caelum et terram ante alia ab initio *διετεκνηνατο και προς γενεσιν εκκλησι καιτοι μη οντα ποτε.* » Quod si quaeratur quomodo id factum fuerit, respondet superfluum esse indagatorem rei quae sciri nequit: « Creat enim sicut novit et ut potens est Deus. »

Repugnantiam materiae infectae, ac productionem ex nihilo probat evidenter Iustinus in Cohortatione ad Graecos. « Materiae vim, quum infecta sit, et iuxta Platonis sententiam, aequalis et coaeva opifici, oblucri par est eius voluntati: ei enim qui non creavit, nulla est in id quod est increatum potestas, ita ut neque vis illa ei inferri possit. » Ita Epiphanius haer. 5. contra Stoicos: « duo simul aequalia tempore materiam et Deum violenter obtrudunt. Excidit igitur tua illa ratio minimeque cohaeret ipsa secum, cum tu et opificem quemdam omnium rerum fateare, quem etiam omnipotentem asseris, et in hoc ipso tamen divinitatem multiplicas. Cuiusnam vero artifex erit ille, si aequalis tempore materia ponitur. Erit enim per se suimet ipsa iuris, utpote quae a nullo sit originis principio de-

ducta, adeoque subiecta nemini. Quod si ab ea producere ut posset, opifex qui eam nactus est acceperit, nonnulla haec esse debet eius imbecillitas, ac veluti agenti facta contributio. » Pariter Irenaeus cum exposuisset notionem entis immutabilis, et probasset materiam ingentiam esse immutabilem (in fragmento 36. edit. Massueti penes Migne pag. 1248) subdit: « si immutabilis est materia, immutabile autem non alteratur secundum qualitatem, mundus ex ea non conditur. Quapropter supervacaneum eis apparet Deum qualitates materiae imprimere, siquidem materia omnino mutationem respuit eo quod est ingentia. Uterius, si materia est ingentia, utique cum quadam qualitate eaque immutabili facta est: neque iam esset plurium qualitatum capax, neque etiam mundus ex ea conderetur. » Theophilus ad Autolycum vero ex unitate Dei idem conficit L. II. c. 4. « Plato cum suis asseclis Deum quidem confitetur ingentium; Patrem praeterea ac conditorem omnium: at deinde supponit Deo materiam quoque ingentiam, quae simul cum Deo adoleverit. Verum si Deus censetur ingentis et materia perhibetur ingentia, iam nec amplius conditor et creator Deus est omnium, etiam secundum Platonicos, nec quod unum et solus sit, ab iis vere demonstratur. » Tertullianus item contra Hermogenem c. 4. seqq. ex unitate Dei demonstrat materiam non esse aeternam et infectam: « Deum unum esse oportet; quia quod summum est, Deus est: summum autem non erit nisi quod unicum fuerit: unicum autem esse non poterit, cui aliquid adaequabitur, adaequabitur autem Deo materia, cum aeterna censetur. » Ita et Dionysius Alex. argumentabatur in 1. lib. contra Sabellium (penes Eusebium H. E. L. VII. c. 19) adversus eos « qui materiam, cuius ortum nullum esse velint, divinae potentiae digerendam ornandamque subiciunt. Doceant, ait, isti qui fieri poterit ut in Deum atque materiam similitudo pariter ac dissimilitudo caderet. Nam alium quemdam utroque potentiorum cogitare tum oporteret, quod tamen de Deo vel suspicari nefas... Si enim illud ipsum quod ortu caret, Deus est, ipsaque, ut ita dicam, ortus negatio, divina essentia est: non iam idem ipsum quod ortu caret, materia fuerit, cum Deus et materia unum idemque non sint. Sin autem utrumque dixerint id quidem esse proprie quod est, materiam videlicet atque Deum, ortus tamen negationem ambobus convenire; manifeste sequitur aliud quidpiam praeter utrumque ponendum quod antiquius ac superius utroque sit. etc. » Quae omnia argumenta vides ad amussim philosophicam esse exacta.

IV. Ut autem difficultas ea removeretur, quam ratio reperire videtur in concipienda productione ex nihilo, animadverterunt Patres

id non aegre capi posse, quandoquidem et causae creatae suo modo aliquid ex non ente producunt. Ita Chrysostomus hom. II. in Genesim n. 4, et uberius Methodius in fragmento relato a Photio in Bibliotheca cod. 236. ex libro eiusdem de libero arbitrio. Impugnat Methodius primo eum qui docet originem malorum esse materiam coexistentem Deo, ex qua Deus mundum fabricaverit: tum subiicit « responde et hoc mihi: dicis igitur materiam sine qualitatibus coexistere Deo, ex qua mundi generationem molitus est Deus? ita mihi videtur. An tibi videtur fieri non posse ut ἐξ οὗζ ὄντων aliquid fiat? ad hanc interrogationem responde: videntur ne tibi mundi qualitates μη ἐξ ὑποκειμένων ποιητῶν factas esse? putas ne aliud quid ipsas esse praeter τὰς οὐσίας? ita profecto. (1) Igitur si neque ex subiectis qualitatibus qualitates ἐδημιουργήσεν ὁ θεός, neque eae sunt ex substantiis eo quod ipsae sunt aliud a substantia, necesse est fatearis ipsas qualitates ἐκ μη ὄντων factas esse a Deo. Modum ergo excedit putare quod ex nihilo nihil fiat a Deo. Sed circa hoc sermo ita se habeat. Etenim penes nos videmus homines facere aliqua ἐξ οὗζ ὄντων, quale exemplum accipere possumus ab architectis; nam isti faciunt civitates ex non civitatibus, naves ex non navibus... Si ergo demonstravimus ita hoc se habere penes homines, quomodo non oportet fateri Deum ne dum qualitates sed et οὐσίας posse facere ἐξ οὗζ ὄντων? » Ex hac ultima conclusione liquet sensum Methodii eum non esse ut creatio non sit nisi productio qualitatum. Argumentatio igitur eius huc redit: quandoquidem et causae naturales, dum agunt, efficiunt aliquid novi, quod prius non

(1) An Methodius probavit distinctionem realem accidentium a substantia? Accipe quae docet in lib. de Resurrectione apud eundem Photium Cod. 234. « Separari aliquid ab aliquo dicitur ἡ ἐνεργεια καὶ ὑποστασι, ἡ ἔννοια, ἡ ἐνεργεια μὴ, οὐ μὴν καὶ ὑποστασι. Ut si quis triticum et hordeum mixta inter se secernat, quatenus quidem secundum motum secretio sit, operatio dicitur, quatenus vero per se secreta subsistant, hypostasi divisa dicuntur. Cogitatione vero, quando materiam a qualitatibus, qualitates a materia distinguimus. Operatione tantum et non hypostasi, cum separatam aliquid ab aliquo non amplius existat, substantiae hypostasim non habens. » En theoria distinctionum completa: distinctio realis mixta ἐνεργεια καὶ ὑποστασι, distinctio rationis ἔννοια, distinctio modalis ἐνεργεια οὐχ ὑποστασι. Scilicet, ut ait Nyssenus de Hominiis Opificio c. 24. « qualitates materiae possunt mente seiangi, sed si acta separentur omnes, nihil manet; ex iis enim constat corpus »; in qua tradenda doctrina secutus est Nyssenus Basilium idem prorsus docentem hom. I in Hexaem. n. 8.

erat, ideoque ex nihilo sui, efficiunt nempe qualitates ex non qualitatibus; cum divina virtus infinite excedat vim naturae, credendum est Deum efficere posse substantias ex non substantiis, sive ex nihilo subiecti; quod est creare. Eodem pacto argumentatur Maximus quidam professor non obscurus christianae religionis, cuius longam disputationem contra Manichaeos recitat Eusebius in lib. VII. Praepar. evangelicae c. 22.

V. Perspicue ergo Patres dogma creationis tradiderunt. Quare si quando nonnulli PP. ut creationem tueantur contra Ethnicos, provocant ad eorum philosophos, Platonem praesertim, veluti assertores eiusdem doctrinae, non est arbitrandum velle PP. illam eandem defendere sententiam quae philosophis et Platoni probata fuit: Deum nempe opificem quidem mundi esse, non vero effectorem materiae, quoniam huic interpretationi manifesta doctrina eorumdem PP. repugnat. Sed cogitandum est Patres hoc argumento minime necessario et ad hominem esse usos, vel quia quidam reapse putabant dogma creationis iis philosophis et speciatim Platoni probatum fuisse (quod, si quaedam testimonia avulsa a contextu et seorsim considerentur, veri est simillimum, quodque censuisse videtur Epiphanius sub haec. 5. contra Stoicos; Plato enim, ut ait Eusebius Praep. evang. L. XV. τὰ ἰσὰ Moysi in generatione mundi philosophatur, vel ideo esse hoc argumento usos, ut illud doctrinae caput assererent quo creatio implicite continetur, reatque methodo rationis ex eo colligi potest, Deum scilicet factorem esse mundi, quod ii philosophi concedebant: ex quo, ut in 1. p. praecedentis Thesis vidimus, et ut Patres audivimus, colligitur merito creatio: quatenus nisi creaverit Deus materiam, neque eam formare poterit.

VI. Porro ii, qui inter Christianos philosophorum errorem instaurare voluerunt, reiecti sunt a Patribus, ut Hermogenes confutatus a Tertulliano in lib. contra eundem, Manichaei ab Archelao Episcopo Carrae, Tito Bostrensi, Epiphanio, Theodoro locis citatis, ab Augustino De Genesi adv. Manichaeos L. I. c. 6. Gnostici ab Epiphanio, Theodoro et ante hos ab Irenaeo qui L. II. c. 9. ait: « Ipsum Deum fabricatorem impie contemunt, et ut putentur posse enarrare unde substantia materiae sit, non credentes quoniam Deus ex his quae non erant, quemadmodum voluit, ea quae facta sunt, ut essent, omnia fecit, sua voluntate et virtute substantia (nempe sola voluntate et virtute loco substantiae sive subiecti) usus, sermones vanos collegerunt suam ostendentes infidelitatem... Attribuerunt enim substantiam eorum, quae facta sunt, virtuti et voluntati eius, qui est omnium Deus, et credibile et acceptabile et constans est:

et in hoc loco bene dicitur quoniam quae impossibilia sunt apud homines possibilia sunt apud Deum. Quoniam homines quidem de nihilo non possunt aliquid facere, at de materia subsaciante: sed Deus quam homines hoc primo melior eo quod materiam fabricationis suae, quam antea non esset, ipse adinvenit. »

VII. Doctrina haec a Patribus cuiusque aetatis proposita est ut dogma revelatum, ideoque credendum. Sane inter haereticos semper habiti sunt huiusmodi homines *materiarum*, ut loquitur Tertullianus adv. Hermogenem c. 23; quod videre licet in catalogis haeresum descriptis ab Epiphano, Theodoro, Augustino. Neque alia ratio esse potuit cur locus inter haereses daretur quoque philosophis gentilibus qui materiam aeternam posuerunt, quemadmodum facit cum Epiphano Theodoretus, nisi quia haec doctrina dogmati revelato refragatur. Hinc semper clarissime propositum hoc dogma credendum. Pastor L. H. M. 1. « Primum omnium (ait) crede quod unus est Deus, qui omnia creavit et consummavit ex non ente ad esse omnia adducens. » Origenes Periar. L. I. . . praef. n. 4. Species eorum, quae per traditionem apostolicam manifeste traduntur, istae sunt, primo quod unus est Deus, qui omnia creavit atque composuit, quique, cum nihil esset, fecit universa. » Theophylus ad Autolye. L. II c. 8. « Dei homines pleni Spiritu S. et a Deo inspirati, instituerunt Propheetae... iam primum omnium, consensu magno nos docuerunt, Deum ex nihilo omnia creasse. » Tertullianus Praesc. c. 13. « *Regula est Fidei* (quod nos dicimus Symbolum Fidei) illa scilicet qua creditur unum omnino Deum esse, nec alium praeter mundi conditorem, qui universa de nihilo produxerit per Verbum suum primo omnium emissum. » Unde et ab Augustino audivimus professionem fidei in Deum omnipotentem, quae Symbolo continetur, complecti necessario professionem productionis omnium rerum ex nihilo. Fulgentius De Fide ad Petrum c. 3. « Principaliter tene omnem naturam, quae non est Trinitas Deus, ab ipsa Sancta Trinitate, quae solus Deus aeternus et verus est, creatam ex nihilo. » Idem Patres docent qui hexaemeron suis commentariis illustrarunt, doctrinam catholicam opposentes doctrinae philosophorum: ut Basilius, Nysenus, Ambrosius. Idem Martyres priorum seculorum sollemnibus suis testificationibus professi sunt. Frequenter enim Martyres fidem suam in unum Deum proficientes, interrogati quem Deum colerent, respondebant se colere unum et verum Deum qui fecit caelum et terram, mare et omnia quae in eis sunt, quibus verbis nihil ex iis quae existunt excluditur e censu eorum quae Deus fecit, praesertim si ea verba secundum Scripturarum sensum accipiantur. Cf. Acta proconsularia S. Cypriani, Acta SS. Martyrum Fructuosi Epi-

scopi etc. Acta S. Pionii, Acta S. Iustini, Acta Proconsul. S. Tarachii, etc. Acta S. Crispinae.

Igitur professio fidei primo articulo symboli contenta et expressa praedicato illo de Deo scilicet *omnipotentem*, et aliis verbis: *creatorem caeli et terrae*, quae tamen non comparent in omnibus antiquis formulis symboli, sed satis in praecedente (omnipotentem) continentur, quorum verborum doctrina Patrum est perpetua interpretatio, est professio productionis omnium rerum ex nihilo per omnipotentiam Dei.

VIII. Imo si quaeras unde Patres hauserint hanc doctrinam, fons huius certe fuit traditio apostolica, at simul eiusdem fons indicari potest revelatio in primo versiculo Genesis contenta; aut, ut accuratius loquamur, non solum ex revelatione per Apostolos praedicata didicerunt Patres res ex nihilo productas esse a Deo, sed ab eadem didicerunt quoque istud dogma enunciarum initio Genesis. Sane etsi Augustinus in Confessionibus L. XII, c. 22. videatur permittere ut dicatur Moysen mentionem non fecisse productionis materiae informis, dummodo ea creata a Deo credatur; tamen communis est satis Patribus sive data opera enarrantibus Genesim aut Hexaemeron sive ad illud provocantibus cum de rerum origine tractant, huiusmodi interpretatio ut primis verbis Moyses excludatur praeesistentia alterius mundi ex hac materia existentis, imo ipsius materiae: ideoque operatio Dei, cuius ibi mentionem facit Moyses, sit prima qua ad extra Deus se prodidit. Ita sane Basilius, Ambrosius, Nysenus in Hexaemeron cum hunc locum pertractant; ita Tertullianus contr. Hermogenem n. 20. Auctor constitutionum Apostolicarum L. V. c. 7. Theophilus ad Autolyem L. II, c. 10. Athanasius de Incarn. Verbi n. 3. Ephrem in hunc locum, Nazianzenus orat. XXXVIII, n. 21. Iohannes Damascenus De fide L. II, collatis cc. 5 et 6; omnes enim Chrysostomo consentiunt aienti hom. II. in Genes. « ille Moyses omnes haereses quae sicut zizaniae pullularum erant in Ecclesia eradicat per hoc quod dicit 'Εν ἀρχῇ ἐποίησεν ὁ Θεὸς τὸν οὐρανὸν καὶ τὴν γῆν. Unde si Manichaens ad te accesserit dicens materiam praexistisse, si Marcion, si Valentinus, qui gentiles, dic illis: In principio fecit Deus caelum et terram. » Atque ad haec verba Moysis satis probabile est provocare Synodum Lateranensem IV in decreto fidei, cum docet Deum sua omnipotentia virtute simul ab initio temporis utramque de nihilo condidisse creaturam.

IX. Iuverit animadvertere, cum graecis (1) et latinis vocabulum proprium deesset quod per se conceptum creationis exprimeret, co-

(1) Videtur Iustinus Cohort. ad Gent. n. 22. habuisse vocabulum *συνταξ*, veluti proprium ad significandum creatorem. Ait enim « neces-

ctos fuisse Patres alia adhibere vocabula quae genericam tantum significationem creationis exhiberent, ita tamen ut determinaverint satis iis appositis quae enumeravimus, vel alio quodam modo, eadem vocabula ad conceptum creationis repraesentandum. Ita e. g. Tatianus Orat. con. Graecos, etsi verbis communibus utatur, neque adiciat formulas ex nihilo aut huiusmodi, manifeste tamen productionem ex nihilo fatetur. Ait enim c. 5.: «quemadmodum Verbum in principio genitum genuit vicissim nostrum mundum, cum ipse sibi materiam formasset, sic et ego quoque ad imitationem Verbi regeneratus, et veritatis illustratus cognitione, materiae mihi cognatae confusionem emendo. Non enim caret initio materia quemadmodum Deus, nec Deo, veluti principii expers, parem habet potestatem, verum procreata est, nec ab alio; sed a solo universorum opifice prolata. » At si materia aliquando non fuit, si principium habet, profecto ex non esse ad esse per causam adducta est; ideoque creata. Hic ergo est sensus verborum quae sequuntur c. 10. « Sic autem res se habet: universam mundi machinam, et quidquid in ea conditum exstat, e materia constitutum esse patet, ipsam vero materiam a Deo productam *προβεβλημενην*. »

Eusebius autem Demonstr. Evangelicae l. 4. c. 4. reiicit quidem formulam *ἐξ οὐκ ὄντων εἶναι*, verum alio sensu acceptam ac communiter a ceteris Patribus, et nihilominus dogma creationis discretissime docet. « Unum est, ait, omnium rerum principium... quod causa est omnium rerum. Itaque quodcumque vult, id etiam est continuo, ipseque est sola causa *της οὐσιωσεως τε καὶ ὑπαρξεως*; omnium quae facta sunt, sunt enim illo volente... Quare cum velit simul et possit, nulla re prohibente, neque impediante, quidquid pulcrum et utile est tam in visibilibus quam invisibilibus, ipse sibi conficit, quippe qui quasi materiam quamdam et essentiam generationis constitutionisque universorum suum consilium suamque potentiam praetulerit. Ut nulla iam ratione dici possit *ἐξ οὐκ ὄντων* esse quidquam eorum quae sunt; neque enim esse quidquam potest *ἐκ μη ὄντος*; quomodo enim quod non est, causa alteri erit ut sit? omne autem quod est, ex uno qui solus et ante omnia est, *το εἶναι λαβὼν ἕξει*: quippe cum qui solus est et semper est, iis

sarium duco animadvertere nentiquam Deum a Platone *ποιητὴν* sed *δημιουργόν* appellari Deorum; quum magna inter utrumque sit differentia ipsius Platonis iudicio: *ποιητὴς*; enim nulla re alia indigens, sua virtute et potestate facit quod vult; *δημιουργός*; vero postquam condendi facultatem a materia accepit, opus suum perficit. » Scilicet vim vocis secundum usum christianum accipit.

omnibus quae ex ipso esse acceperunt, causa fuerit ut essent. » Itaque negatur res esse ex nihilo tanquam causa, quod verissimam est. Docens vero Eusebius materiam generationis rerum fuisse divinum consilium, divinamque potentiam, negat reapse ex aliqua materia seu subiecto praeesistente Deum condidisse mundum, nimirum quod aliis agentibus praestat materia et subiectum, id Deo praestitit sua potentia; cum enim alia agentia sibi non sufficiant nisi a subiecto aliquo adveniatur, divina potentia citra quodvis subiectum sufficit omnino sibi; quod alia formula Irenaeus L. II. c. 9. expresserat: « ut essent omnia fecit, sua voluntate et virtute tanquam *substantia* usus. » Ceterum qui tradit Deum esse ante omnia, Deum esse causam substantiationis et existentiae omnium rerum, terminamque divinae effectiois esse *το εἶναι*, is dogma creationis apertissime proficitur.

X. Hoc autem dogma non solum revelatum est, sed et in sollemnibus professionibus Fidei continetur ab Ecclesia editis. Concilium enim Lateranense IV definiit: « Firmiter credimus... quod unus est verus Deus creator omnium visibilium et invisibilium, corporaliū et spiritualium, qui sua omnipotente virtute simul ab initio temporis utramque de nihilo condidit creaturam etc. »

XI. Frustra vero Arminiani ad quosdam veteres Scriptores provocant, ut ostendant praeis Ecclesiae seculis nullam fuisse Christianis iniunctam necessitatem credenda productionis universitatis rerum ex nihilo. Nam provocator 1) ad Tertullianum, qui adv. Marcionem L. II. c. 5, obiter ait: « nam etsi ex aliqua materia, ut quidam volunt, hoc ipso tamen ex nihilo, dum non id fuerunt quod sunt. » Ast illi quidam sunt haeretici, non catholici; nam certa est sententia Tertulliani De Praescrip. loco paulo ante recitato: haec vero non tanquam concedens id quod quidam volunt, loquitur, sed ex eorum quoque licet falsa sententia suadere vult aliqua ratione catholicum dogma.

Provocator 2) ad Arnobium africanum in L. I. adv. Gentem aientem: « quid enim si prima materies, quae in rerum quatuor elementis digesta est, miseriarum omnium causas snis continet rotationibus (Bayle Diction. crit. hist. v. Pauliciens imperite legit *rotationibus*) involutas? » Verum a) libri hi editi sunt ab Arnobio adhuc catechumeno (cf. Hieronymum in Continuatione Chronici Eusebii sub ann. 329 adeoque nondum satis theologiam christianam edocto; quapropter in eo opere identidem ea occurrunt quae hominem in doctrina christiana hospitem produunt. Lege e. g. in lib. II. doctrinam de origine animae, et plurium entium infirmorum ac nocentium. Cf. Petavium de Deo L. VI. c. 6. §. 15. b) Verbis

recitatis nihil affirmatur, nec ulla continetur explicita negatio creationis; respondet autem quaestioni gentilium: unde tot mala quibus Romanum imperium premebatur? Gentes enim causam eorum Christianismum esse dicebant, quod refutat data opera Arnobius: tum deinde ad eam quaestionem primum respondet se non teneri ostendere quibus unaquaque res causis et rationibus fiat, tum monet in ipsis rebus iam semina esse tot malorum: quis enim neget in ipsis motibus perennibus corporum et atomorum rationem esse tot phaenomenorum, quae licet spectantia ad universi ordinem sint tamen hominibus ingrata, cuiusmodi sunt terrae motus, pestes? Cf. sequentia. Provocatur 3) ad Synesii plura testimonia ex libro de Insomniis, et de Providentia. Verum vel haec opera s. Synesius scripsit adhuc gentilis, vel certe, quae est animadversio Petavii in notis de vita et scriptis Synesii, plura in ea Synesius ex falsa philosophia gentilium derivavit, sapientiaeque gentilis sapore omnia sua opera aspersit, fabulisque usus est ad doctrinas philosophicas declarandas, ut ipse monet initio libri de Providentia, et de Insomniis. Provocatur 4) ad priscos Christianos Apologetas Iustinum et Athenagoram. Atqui nullum ex iis affertur testimonium quo vel negetur creatio, vel dicatur fidem huius rei necessariam non esse. Ad Iustinum quod attinet, certum est ipsum creationem ex nihilo credidisse et docuisse, quod iam patet ex testimoniis superioris citatis. Praeterea in dialogo cum Triphone n. 5. docet animas non esse ingenas, quia secus essent aequales Deo; concluditque unum tantum esse ingentium, non plura. Ergo et materia genita seu facta est a Deo. Quid ergo affertur ex Iustino? In Apologia 1. n. 40. ait de Deo « Et cum ille bonus sit, omnia illum ab initio ex infirmi materia propter homines condidisse scimus. » Et n. 59. « Atque ut ab doctoribus nostris, idest a doctrina per prophetas vulgata, acceptum esse intelligatis quod dixit Plato, Deum cum informem materiam vertisset, mundum fecisse, audite quod totidem verbis dixerit Moyses, per quem Spiritus propheticus quomodo mundum Deus initio et ex quibus condiderit, declarat his verbis: In principio fecit Deus caelum et terram; terra autem... Et dixit Deus fiat lux, et facta est lux. Verbo igitur Dei ex subiectis et a Moysae designatis rebus mundum universum esse conditum, et Plato, et qui eadem ac ille dicunt, et nos ipsi dicimus; vobisque licet id perspicere. » Iam vero primum testimonium non est exclusivum; nec erat necesse ut omnia dogmata praesertim difficiliora Apologetae evulgarent, cum ad instam sui defensionem id non postularetur. In altero autem testimonio cum probare velit Iustinus Platonem a prophetis didicisse quod verum docet, non potuit mentionem facere nisi illius capitis doctrinae, quod

Plato quoque asserebat. Quid autem profertur ex Athenagora? Is in Legal. n. 10. ait « Verbum a Deo prodidisse ut omnium materialium rerum, quae instat informis naturae et inertis terrae partibus crassioribus commixtum cum levioribus facebant *ἰδέα καὶ ἐνεργεία* foret. Et n. 15 dicit « materiam et Deum maximo intervallo distare quanto lutum et opifex. » Scilicet hoc eodem in opere n. 15. Athenagoras statuit Deum et materiam differre sicut ingentium et genitum, sicut *το ὄν καὶ το οὐκ ὄν*; genitum autem n. 6. et 19 dicit illud esse quod antea non erat; ingentium autem aeternum esse statuit. Ergo ex Athenagora materia ipsa non semper fuit, sed facta est cum prius non esset. Neque id negat ipse in prioribus verbis citatis: sed quemadmodum in Genesi Verbi Dei solum fit mentio, cum Deus ad ornandum materiam accedit, ita Athenagoras Verbi divini indolem per appropriationem explicans, ipsum dicit prodidisse ut actus esset informis materiae. Ceterum ipse non semel accurate distinguit duas Dei operationes, cum dicit quod res *ἔποιησε καὶ ἐκοσμήσε* n. 8. et quod ab eo *το παν γέγεννηται καὶ διακοσμήται* n. 10. Quod autem n. 19 subdit oportere materiam praesto esse artificii nempe Deo, id quidem verum est, ut mundus fieri possit: sed hoc ideo Deus materiam, ut ait Irenaeus, sibi ipsi adinvenit, h. e. creavit. Quod si aliqua dubitatio adhuc restat quoad Athenagoram, qui licet pluries de rerum productione mentionem faciat, nunquam explicitè dicit materiam ex nihilo productam, ita ut illud *οὐκ ὄν* videatur posse accipi sensu platónico et aristotelico: recollendum est primo argumentum hoc esse negativum, meritoque postulari ut Scriptoris mentem ad normam universae traditionis interpretemur.

Deinde quoad utrumque, Iustinum scilicet et Athenagoram advertendum est quod praecipuus scopus eorum in his apologiis est flectere animos Principum ne permitterent homines Christianos eo nomine accusari et plecti quod Christiani essent: utque iniustitiam horum iudiciorum demonstrent, in id potissimum incumbunt ut ostendant quae Christiani profiterentur, etiam ab aliis philosophis tradita fuisse, qui nunquam tamen ob ea aut accusati aut damnati fuerunt. Iam vero methodus huius defensionis facile postulare potuit ab ipsis, ut quaedam dogmata, quae maxime aliena erant ab opinione illorum Principum, quos alloquebantur, et quorum mentio necessaria non erat, vel silentio praeterirent, vel obiter tantum et obscure quodammodo significarent.

Adverte Clementem Alex. in Strom. V. demonstrare furtiva philosophorum, qui Veteris Testamenti scripta compilaverint. Et postquam aliis philosophis alia furtiva approbaverit, ceteris id crimini

vertit quod materiam posuerit aeternam occasione accepta a verbis Moysis: terra erat invisibilis et informis. Cum vero obiicit sibi quod philosophi non potuerint suam doctrinam mutuari a Moysae, quippe qui materiam infectam ponebant, secus ac Moyses, respondet: «adver- tant philosophos ponere materiam sine qualitatibus et figuris, et magis audacter Platonem eam vocare $\mu\eta\ \delta\upsilon\ \nu\ \epsilon\tau\ \mu\eta\ \tau\iota$, unumque principium (efficiens scilicet) agnovisse Platonem in Timaeo. Nunc igitur quoad nos ita se habeat. Nunc autem quod spectat ad principia omnium, sive principia, si quid de his videatur, omittendum non aliam ob rationem nisi quia difficile est, propter methodum nobis propositam, manifestare sententiam nostram. Ceterum propheta dictio: *terra autem erat invisibilis et informis*, suppediavit eis occasionem introducendi substantiam materialem. » Ergo inter dogmata philosophorum recensetur a Clemente quod materia sit infecta, eosque affirmat accepisse a Moysae notitiam materiae rudis et indigestae, licet oblitii sint aut noluerint credere quod in praecedente sacer scriptor docet, h. e. hanc ipsam materiam factam esse a Deo. Licet vero non dicat disertus Clemens (licet satis innuat aliam esse sententiam Christianorum) falsum esse commentum philosophorum; id ex eo factum est, quod alienum esset a scopo suae orationis, qui erat ostendere philosophos a Moysae et prophetis, eisi identidem perperam intellectis, derivasse suam doctrinam. Quae quidem opinio fuit aliorum quoque veterum Christianorum.

Thesis IV.

Doctrina creationis ne dum divino testimonio sed et demonstrationibus quoque e rationis divinitati luminis petitis certissime comprobatur.

I. Philosophi destituti lumine revelationis vel ignorarunt vel negarunt productionem rerum ex nihilo: at ignoratio et negatio haec fuit praevaricatio a norma rectae rationis. Etenim, ut iam alibi animadvertimus, argumenta quidem pro hac demonstranda veritate, allata sunt a christianis lumine fidei imbutis; munus tamen Fidei in his argumentis conficiendis non fuit suppeditare principia demonstrationis, sed solum dirigere mentem ut ad sua nativa principia accuratius reflectens, eorumque analysim pleniorum instituens, notitiam hanc in iis contentam assequeretur. Et sane elementa omnia, quibus constant haec demonstrativa argumenta, sunt e penu rationis derivata, eiusque vim naturalem nullatenus excedunt. Quod certe propositione ipsa argumentorum manifestum fiet.

Itaque 1) argumentum S. Thomae (q. XLV. a. 2. q. praeced. a. 1.) huc redit: quidquid est praeter Deum est causatum ab ipso, atqui si Deus ageret ex aliquo praesupposito, non esset ab ipso causatum quidquid est praeter ipsum: ergo. Minor per se patet. Probatur Maior. Distinguit Thomas ens in id quod tale est per participationem, et id quod tale est essentialiter. Additum illud per participationem significare potest vel id quod est ab alio quatenus ab eo participat esse, vel id quod est limitatum in perfectione, quatenus non ex toto sed veluti ex parte eam obtineat. Porro prima significatio excluditur a scopo demonstrationis; est enim demonstrandum: omne ens praeter Deum esse causatum ab ipso. Itaque altera significatio adhibenda. Quare in forma ita probatur maior. Omne ens vel est ipsum esse per se subsistens, ideoque tota plenitudo essendi, ens infinitum, vel est ens participatum, h. e. ex parte habens perfectionem entis, finitum videlicet; atqui ipsum esse per se subsistens est unum, cetera vero entia habent esse ab eo, sive ab eo produci debent ut sint; ergo. Maior certa est, minor quoad primam partem sumitur tanquam iam demonstrata ex Tractatione de Deo uno, infinitum nempe unicum esse. Quoad alteram vero partem probatio proprie haec non exponitur, sed tantum innuitur his verbis: sicut ferrum fit ignitum ab igne; quod et quadam Aristotelis auctoritate confirmatur docentis, id quod est maxime ens et maxime verum esse causam omnis entis et omnis veri, sicut id quod est maxime calidum est causa omnis caliditatis. Rationem tamen, quam hic non exponit, tradit in L. H. c. G. c. 15. n. 5 eaque est: omne finitum potest esse et potest non esse, sive contingens est; nam infinitum solum est necessarium: iam vero contingens non habet in se rationem suae existentiae, sed in alio: quod eam habet in alio ideo existit quia ab hoc producitur; omne ergo ens finitum eatenus existere potest quatenus ab alio producatur. Porro hoc aliud quod est ratio existendi omnibus contingentibus est ens necessarium, quod non est nisi unum, et hoc est Deus. Ergo.

Dices in hac demonstratione supponi 1) esse alia entia praeter Deum, quod non conceditur a Pantheistis qui creationem negant; 2) haec alia entia esse finita et contingencia, quod non potest concedi ab iis qui praeter Deum bonum admittunt etiam Deum malum, aut materiam aeternam.

Resp. ad 1^{am}. Id quidem supponi in hac quaestione, in qua supponitur demonstrata absurditas Pantheismi, h. e. identitatis realitatis infinitae cum realitatibus, quae in suo conceptu essentiali limitationem et imperfectionem includunt. Id autem iure a S. Thoma supponitur; quia hoc alibi iam demonstraverat in Tract. de Deo, (q. III. a. 8)

quod nimirum ens infinitum non est esse formale omnium quae sunt, aut esse possunt: sed est ens distinctum ab aliis realibus perfectionibus, quae in suo conceptu imperfectionem necessario includunt; et ideo perfectiones has h. e. entia finita esse tum secundum essentiam, tum secundum realem existentiam, quando existunt, prorsus alia a Deo. Porro modo S. Doctor cum Pantheistis proprie non disputat; sed posita hac distinctione, quaestionem solvit utrum ea omnia quae sunt distincta a Deo, sint producta ab eo et producta ex toto.

Resp. ad 2^{am}. id proprie non supponi sed probari, licet probatio hic deserte non afferatur, sed provocetur ad probationem superius allatam, qua confectum est ens necessarium et infinitum esse unicum.

His omnibus igitur collatis patet demonstrationem esse suis numeris absolutam, et ideo omne ens sive omnem realitatem esse productam a Deo.

Posita demonstratione art. 1. q. XLIV, colligit S. Doctor a. 2. non quasi aliud docens, sed distinctius explicans quod ea demonstratione iam conclusum erat, productam esse a Deo etiam materiam primam, quae est ultimum subiectum omnium naturarum physicarum. Ea enim demonstratione effectum est Deum esse causam totius realitatis, qua res finitae constant: est ergo causa rerum non tantum prout sunt tales per modos sive formas quaslibet, sed simpliciter prout entia sunt; causa autem rerum prout entia sunt, efficit quidquid ad earum esse pertinet: porro materia prima spectet ad esse rerum physicarum. Ergo.

2. Argumenta Patribus usitata vel ex conditione materiae, vel ex natura Dei petuntur. Ex conditione materiae, quia materia infecta esset ens a se, necessario aeternum, Deo non subiectum; ex quo ideo nihil fieri posset. Ex natura Dei, quia Deus agens ex subiecto quod non produxit, non esset independens et omnipotens, duoque essent Dei, existente materia a se; quae omnia repugnant. Cf. praeced. Th.

3. Omnia autem argumenta huc revocari possunt. Aut creatio, aut pantheismus, aut dualismus, aut atheismus est admittendus; atqui altera, tertia, quartaque hypothesis repugnat. ergo creatio est admittenda. Maior certa est. Nam vel nullum ens necessarium et infinitum existit, et habes atheismum. Si autem hoc ens existit, vel est identicum realiter nobiscum et mundo, vel est distinctum a ceteris rebus. Si identicum, habes pantheismum. Si distinctum est, vel res ab eo distinctae sunt a se, vel sunt ab ipso: si sunt a se, habes dualismum (modo enim nihil refert utrum unum aut plura subiecta, quae sint a se, ponas extra Deum). Si sunt ab ipso, rursus vel sunt ab

ipso emanatione quadam immanente, vel effectione; si immanente emanatione, tollitur reapse distinctio quae supponebatur, et redit pantheismus. Si sunt ab ipso per effectiorem, vel ens infinitum est ratio adaequata omnis eorum realitatis, vel aliquid reale supponit ex quo ea producit; si hoc alterum, habes iterum dualismum; si primum, habes creationem. Ergo. Probatio minoris evidens est. Repugnancia enim atheismi satis superque in Philosophia demonstratur; itemque repugnancia dualismi contra quem faciunt argumenta a Patribus usurpata. Nec minus evidenter ostenditur repugnancia pantheismi; qui manifestissimis contradictionibus scaturit, ita ut quemadmodum certum est principium contradictionis esse legem necessariam et universalem utriusque ordinis logici et ontologici, sic quoque certa sit absurditas pantheismi. Restat ergo hypothesis creationis.

II. Si quis autem demonstrationes allatas ut par est consideret, intelliget facile demonstrationem creationis non esse nisi complementum demonstrationis existentiae Dei; nullus est enim Deus, nisi sit ens distinctum a ceteris et infinitum, hoc autem nequit esse nisi per creationem sint alia ab ipso. Ergo quemadmodum certa est existentia Dei, ita quoque certa est creatio.

III. Itaque creatum esse proprium est cuiusque substantiae praeter Deum, atque est de intrinseca ratione eiusdem prout est substantia finita et contingens: licet substantia, prout est talis, concipi et definiri possit praecisione facta a conceptu creationis; per definitionem enim elementa intrinseca, et propria rei, non extrinseca et communia exhibentur.

Quoniam argumenta, quibus creatio impugnari solet ex penu rationis petita, iam alibi attulimus (Inst. Phil. Cosm. Th. XXIX); his nunc expendendis supersedere possumus.

Thesis V.

Actus creativus est actus formaliter quidem immanens, virtualiter vero transiens: atque hic actus immanens est actus voluntatis, praesupposito actu scientiae, est autem actus voluntatis prorsus liber.

I. Duplex operatio distinguitur, immanens et transiens. *Immanens formaliter* est ea quae secundum totam suam realitatem manet in eodem subiecto, a quo procedit, illudque perficit, cuiusmodi sunt actus sentiendi, intelligendi et volendi, quibus agens creatum se ipsum modificat et perficit: atque in huiusmodi operatione consistit vita. Eadem definiendi etiam potest operatio activitatis, cuius terminus intrin-

secus, quo nempe ipsum eius exercitium constituitur et absolvitur, totus manet in agente. Operatio *formaliter transiens* est ea, quae non est secundum suam realitatem saltem totam (Cf. Instit. Philos. O. Th. XIX. p. II) in subiecto agente, sed extra ipsum completur: sive est operatio activitatis cuius terminus intrinsecus, quo eiusdem exercitium constituitur et absolvitur, est ex parte saltem extra agens. Instituta analysi actionis formaliter transeuntis, quae ab immanente essentialiter distinguitur, manifesta sunt haec duo: 1) ipsam eo essentialiter spectare ut extra agens fiat aliquid, essentialiter inquam, ita ut ipsa secundum essentiam suam haberi nequeat nisi aliquid extra fiat: 2) eam supponere subiectum aliquod extra agens in quo fiat aliquid ab agente, quodque natura saltem prius sit ipsa operatione agentis. Primum patet ex ipsa definitione actionis transeuntis: alterum ex eadem ita probatur. Si subiectum nullum extra praesupponitur actioni agentis, ea actio non erit et non complebitur nisi in ipso agente; atqui talis actio est formaliter immanens: ergo actio formaliter transiens praesupponit subiectum aliquod extra agens in quo actio recipiatur.

Actio tandem *formaliter immanens et virtualiter transiens* ea est, quae secundum totam suam realitatem manet in ipso agente, seu cuius terminus intrinsecus est in agente: est tamen tantae efficacitae, ut ad eam terminus extrinsecus h. e. nullo modo spectans ad constitutionem actionis, sed solum eius effectus existens, ad extra consequatur. Statuimus in Thesi primum creationem activam esse actum Dei formaliter immanentem, actum nempe voluntatis divinae, praesupposita proinde cognitione.

II. Id ex Scripturis primum certe colligitur. Psal. XXXII, 9: CXLVIII. 5. *Ipsa dixit et facta sunt, ipse mandavit et creata sunt.* Psal. XXXII, 6. *Verbo Domini caeli firmati sunt.* Gen. I. 3. *dixit Deus fiat lux, et facta est lux,* et ita porro. Apocalyp. IV, 11. *Quia tu creasti omnia, et propter voluntatem tuam erant et creata sunt.* 2. Machab. VIII, 18. *Nos in omnipotente Domino, qui potest universum mundum uno nutu delere, confidimus.* Opus ergo Dei, universaeque creatura exstitit quia Deus dixit, quia voluit, quia mandavit; eoque nutu voluntatis mundus est factus quo deleri potest. Nimirum haec est natura divinae activitatis, ut Deus dicendo, volendo, iubendo efficiat res esse, etiam cum materia praeeexistit, ut cum facta est lux; ita ut nihil interesset inter actum divinae voluntatis et existentiam effectus: adaequata proinde ratio existentiae mundi fuit actus divinae voluntatis. Ergo.

Idem disertissime docent PP. Basilus in hexaem. hom. I. n. 2. « Universi huius opifex effectricem potentiam habens in infinitum

excedentem, rerum quae conspiciuntur magnitudines solo voluntatis nutu condidit ». Clement. Alexand. in Admonit. ad Gentes « Quanta est Dei potentia! Ipsius Dei sola voluntas est mundi productio. Sicut Deus fecit, quoniam ipse solus est verus Deus. Sola voluntate operatur: atque eius solum velle res facta consequitur ». Athanasius Orat. II. n. 29. contr. Arianos, qui Filium Dei e Patre procreatum dicebant ut per eum reliqua conderet, ait: « nam cur aliqui cum condere hanc universalitatem vellet, mediatorem requirit, tanquam eius voluntas non sufficiat ad condenda quaecumque voluerit... Quod si vel sola voluntas sufficit ad omnium procreationem, supervacaneus est ex vestra sententia mediatoris usus ». Nysenus L. I. cont. Eunomium « Omnia per ipsum facta sunt, visibilia et invisibilia: ad eorum autem quae sunt substantiam sola Dei voluntas sufficit: virtus enim sive potentia ipsa est voluntas ». Nazianzenus Orat. XXXVIII, n. 9: « Primum angelicas et caelestes virtutes cogitavit (Deus), atque illa cogitatio opus erat. *καὶ τὸ ἐνομήμα ἐγένον ἡν* ». Ambrosius in hexaem. L. II. c. 2. « Quid difficile est ei, cui velle fuisse est? Damascenus L. II. de Fide c. 29. « Procreans et conservans et procurans ipsius potentia nihil aliud est quam bona ipsius voluntas ». Augustinus Confess. L. XI, c. 7. « Ideo Verbo tibi coaeterno simul et sempiterno dicis omnia quae dicis, et fit quiddam dicis ut fiat, nec aliter quam dicendo facis: nec tamen et simul et sempiternae fiunt omnia, quae dicendo facis ». Idem pulcre explanat Chrysostomus hom. II. De Incomprehensibili.

Quod et ratio certissima persuadet, creationem nempe, prout active Deo competit, non posse esse nisi actum formaliter immanentem. Sane tenendum est primo actum creantem esse formaliter in Deo; Deus enim vere dicitur creans, est autem creans quatenus per omnipotentem virtutem suam causa est existentiae rerum: virtus vero Dei quoad suam intrinsecam realitatem est tota in actu, sive est actus: ergo non sola potestas creandi, sed actus creans est formaliter in Deo. Iam vero actus transiens supponit subiectum in quo agens operatur (I. p.); creatio vero nullum supponit subiectum: ergo actus creativus est actus formaliter immanens.

III. Actus autem immanens creativus vel est actus scientiae vel voluntatis. Porro scientia quidem ut dirigens postulatur, sed actus immediate efficax nequit esse nisi actus voluntatis. Scientia enim 1) est indifferens ad opposita, aequo modo se habens ad esse rerum et non esse rerum, voluntas vero potest alterutrum determinare; actus autem efficax debet esse determinans existentiam rerum. 2) Scientia obiecta, quae sunt extra, trahit potius ad se, volitio vero inclinatur ad ea, quae sunt extra: principium autem efficiens incli-

nationem quandam dicit ad extra. Itaque remota a creante actione formaliter transeunte, non restat nisi imperium aut volitio ut res sit.

At dices nonne licet excogitare *potentiam*, quae ratione distincta sit ab intellectu et voluntate, quaeque immediatum principium sit creaturarum? Verum ad id recte excogitandum oporteret ita distinguere secundum rationem potentiam a voluntate, sicut voluntas distinguitur a scientia. Hoc autem posito actus huius potentiae nequit concipi ut immanens; quia potentia, ut ratione distinguitur a voluntate, nequit concipi nisi ut principium executionis operis subsequens intellectum dirigentem et voluntatem imperantem: principium autem executionis subsequens cognitionem et voluntatem, est principium agens per actionem formaliter transeuntem; nam eo essentialiter tantum spectat ut ad extra aliquid efficiat, ideoque nequit concipi eius actus ut actus vitalis modificans subiectum agens cuiusmodi est omnis actus immanens. Atqui actio creativa non potest esse formaliter transiens, quia subiectum deest in quo operetur; ergo potentia prout a quibusdam concipitur secundum rationem formalem distinctam adaequate a scientia et voluntate, non potest concipi ut principium efficiens creaturarum.

IV. Ex hac demonstratione consequitur conceptum divinae potentiae non esse ex toto alium a conceptu divinae voluntatis, seu neque secundum rationem adaequate distingui potentiam divinam divinamque voluntatem: sed conceptum divinae potentiae exprimere potius modum quandam divinae voluntatis; aliis verbis divinam potentiam esse ipsam voluntatem prout est efficax ad extra; quod et testimonia Scripturae et Patrum postulare videntur. Et quidem non solum cum res ex nihilo produci, sed et cum res productas modificat Deus, actus eius efficax non est nisi actus voluntatis. Nam quodvis divinum attributum est in suo genere infinitum; cum ergo divina voluntas sit certa potentia quoad res creandas, potentia autem infinita requirat posse quoque res creatas modificare, dicendum est eandem voluntatem esse principium cuiuscumque effectus ad extra. Et sane etiam cum res modificat debet esse Deus independens omnino a subiecto in agendo: tum porro erit omnino independens a subiecto, cum ad nulum suae voluntatis effectus existat.

V. Quaeres quomodo declarari possit actus immanens divini efficacia ad extra. Respondeo: actus immanens voluntatis nostrae, prout est volitio eorum quae sunt alia a se, iam habet ordinem quandam ad res quae sunt extra; prout est imperium movens facultates ad operationem, iam est principium quoddam executionis et productionis eorum effectuum, qui procedunt a facultate activa quae subest imperio voluntatis: inest proinde actui voluntatis quidam ordo

et quaedam efficacia ad extra. Haec quidem efficacia in voluntate finita est limitata, et non nisi mediata; si vero actus voluntatis sit infinitae perfectionis, eius efficacia erit quoque infinita, neque indigebit aliis viribus intermediis ad productionem effectus, sed ex se efficax erit. Quocirca erit quidem actus formaliter immanens, sed virtualiter transiens, quia efficax ad extra. Itaque actui immanenti repugnat esse formaliter transeuntem, nequaquam vero repugnat esse virtualiter transeuntem.

Dices: si volitio Dei est per se effectrix rerum, tautologia erit in hac et similibus locutionibus: *Deus facit quae vult*, nempe *vult quae vult*. Verum id negandum est; quia cum dicitur *facit* non significatur sola volitio, sed volitio efficax, nec convertuntur haec duo, volitio et volitio efficax; nam est etiam volitio Dei inefficax. Quare licet sit eadem res voluntas et potentia; quia potentia Dei ipsa est voluntas: tamen non omnis voluntas est potentia, sed alius est modus voluntatis simpliciter, alius modus voluntatis efficaciae. Quare aliud et aliud significatur per ea verba *facit* et *vult* in ea propositione: *Deus facit quae vult*; significat enim primum efficaciam divinae virtutis, quae non ideo minus competit Deo eo quod sit ipsa Dei voluntas, alterum vero significat consilium voluntatis suae.

V. Iuxta scholasticos plures tamen creatio est actio formaliter transiens (cf. Suarez M. D. 20 sect. 5); quae doctrina ut explicetur, advertendum est causam omnem, secundum Aristotelem, agere per motum: motum productum recipi in subiecto aliquo, motum hunc eandem rem esse ac passionem et actionem, motum nempe passionem esse quatenus in subiecto recipitur, actionem vero quatenus motus pendet ab agente; et idcirco actionem non in causa agente, sed in subiecto patiente reperiri. Hac praestituta doctrina, cum quaestio fieret quid esset actio creativa, prout erat cogitare illam esse in subiecto creato potiusquam in causa creante, remotis quidem omnibus imperfectionibus actionum creaturarum et motu, quia causa creans non agit per motum. His vero remotis non restat nisi dependentia creaturae a Deo, quae, ut contendit Suarez, non est omnino idem quod creatura quae est terminus illius dependentiae, neque est sola relatio resultans ex termino creationis; sed est modus quidam ex natura rei distinctus ab ipso termino. Huic porro dependentiae creaturae, quatenus dicitur habitudinem ad divinam potentiam a qua fluit, convenire ait Suarez propriam rationem actionis seu creationis activae. Monet autem hanc quaestionem ex ea philosophica pendere: an actio transiens sit formaliter in agente an in passo, in qua quidem philosophica quaestione agitur de actione formaliter transeunte, talemque Suarez supponit esse actionem creativam. Unde consequens erit actionem